

2001-03-11 – SS Ioannes Paulus II - Littera ‘Omnis Lingua’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

OMNIS LINGUA*

VENERABILIBUS SERVIS DEI ALFONSO LÓPEZ LÓPEZ ET QUINQUE SOCIIS BEATORUN HONORES DECERNUNTUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omnis lingua confiteatur: "Dominus Iesus Christus!", in gloriam Dei Patris » (*Philip* 2, 11). Venerabiles Servi Dei Alfonsus López López et Socii, sodales Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, optima ratione expleverunt exhortationem apostoli Pauli atque, illuminati a Spiritu Sancto, catholicam fidem aperte professi sunt etiam in difficultibus rerum adiunctis, in quibus ipsi operam navabant. Haec eorum fortitudo in fidelitate erga Christum etiam inter tribulationes exacerbavit homines seditiosos, qui civili Hispaniae bello flagrante, expulerunt eos de conventu urbis *Granollers*: deinde dum apud familiares et amicos morabantur, eos comprehenderunt et interfecerunt, odio in Deum inque eius Ecclesiam ducti. Ipsi autem sunt:

1. Pater Modestus Vegas Vegas. Natus Sernae, in dioecesi Legionensi, die XXIV mensis Februarii anno MCMXII quamquam infirma ,valetudine laborans, assidue dicavit se ministerio sacerdotali exercendo, praesertim quidem Verbum Dei praedicando et confessiones audiendo. Apprehensus die XXVII mensis Iulii anni MCMXXXVI, palam se franciscalis Ordinis sodalem professus est, qua de causa manuballista obtruncatus est, postquam varias sustinuerat vexationes.
2. Pater Dionysius Vicente Ramos. Ortus est in loco *Caudé*, in dioecesi Terulensi, die IX mensis Octobris anno MDCCCLXXI. Lauream in theologia Romae consecutus, functus est munere parochi: scholae praeceptor exstitit singularique sedulitate Sacramentum Reconciliationis administravit praesertim in Basilica Lauretana. Die XXXI mensis Iulii anni MCMXXXVI a seditiosis hominibus apprehensus, eodem die occisus est, suoque modo sese gerendi ipsos vexatores aedificavit.
3. Frater Franciscus Remón Játiva. Ortus est in loco *Caudé*, in dioecesi Terulensi, die XXII mensis Septembbris anno MDCCCXC. Postquam Assisii sollemnia vota emisit, ibidem apud basilicam sancti Francisci aeditui munus explevit usque ad annum MCMXXXV. In Hispaniam reversus, in conventu loci *Granollers* munera suscepit aeditui et ianitoris. Statim ut init persecutio religiosa, comprehensus est, graviter percussus et una cum patre Dionysio die XXXI mensis Iulii anni MCMXXXVI manuballista interfectus.
4. Pater Alfonso López López natus est in loco *Secorín*, in dioecesi Iacensi, die XVI mensis Novembbris anno MDCCCLXXVIII. Fuit presbyter paenitentialis in basilica Lauretana. Reversus in Hispaniam, laudabiliter munus explevit magistri postulantum et novitiorum. Comprehensus una cum fratre Michaële Remón die III mensis Augusti anno MCMXXXVI, maluit suam amittere vitam quam Iesum Christum negare. Insequentia noete manuballista obtruncatus, mortuus est dum verba veniae erga occisores suos pronuntiabat.
5. Frater Michaël Remón Salvador. Ortus est in loco *Caudé*, in dioecesi Terulensi, die XVII mensis Septembbris anno MCMVII. Missus in Italiam, humiliter et accurate inserviuit apud Paenitentiariam Lauretanam, usque ad annum MCMXXXIV, quo Hispaniam petiit. Cum exarsit bellum civile, in quandam domum amicorum profugit, sed milites marxianae doctrinae detegerunt eum et comprehenderunt die III mensis Augusti anno MCMXXXVI. Cum fidem suam abiurare recusaverit, manuballista est occisus una cum patre Alfonso López López.
6. Pater Petrus Rivera Rivera. Natus est die III mensis Septembbris anno MCMXII in loco *Villacreces*, tunc ex dioecesi Legionensi. Postquam Romae licentiam in theologia est adeptus, in Hispaniam reversus est. In Ordine Fratrum Minorum Conventualium tanta fruebatur aestimatione ut etsi iuvenili aetate moderamen communis loci *Granollers* ipsi sit concreditem. Mense Augusto vel Septembri anni MCMXXXVI a seditiosis hominibus apprehensus et occisus est; paulo ante mortem cuidam sacerdoti dixit se moriturum esse Christo Regi carmina canentem.

Eorum martyrii fama increbescente, anno MCMLIII Archiepiscopus Barcinonensis Causam beatificationis seu declarationis martyrii incohavit. Peractis omnibus ad normam iuris statutis, die XXVI mensis Martii anno MCMXCIX coram Nobis promulgatum est decretum super martyrio. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus die XI mensis Martii anno MMI Romae celebraretur, una cum beatificatione Venerabilium Servorum Dei Iosephi Aparicio Sanz aliorumque fidei testium, qui tempore eiusdem persecutionis in Hispania sunt occisi.

Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri patente, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam:

« Nos vota Fratrum Nostrorum Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, Richardi Mariae Cardinalis Carles Gordó, Archiepiscopi Barcinonensis, et Francisci Ciuraneta Aymí, Episcopi Ilerdensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Aparicio Sanz et ducenti triginta duo Socii Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die vicesima secunda Septembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Consueta habita oratione de vita virtutibusque horum caelitum, qui viventes Francisci Asisinatis vestigia sunt seuti et fraternitate coniuncti martyres occubuerunt, Nos Ipsi, animo laetanter commoti et admirantes tantam eorundem alacritatem ad sanguinem pro Domini amore fundendum, summa devotione christianam eorum fortitudinem publice laudavimus et cum adstantibus consentanea nimirum prece in adiutorium totius Ecclesiae adhuc in terra peregrinantis caeleste beatorum invocavimus patrocinium. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Martii anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

De mandato Summi Pontificis
ANGELUS card. SODANO
